Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26373
Copyright: Admont, Benediktinerstift



gentium nationes traxit. Circuiuit et perambulauit. quia
per corda gentium iniquitatis suę uestigia impressit. Ca
dens enim a sublimibus humanas mentes iure possedit.
quia in culpę suę uinculo uolentes adstrinxit. tantoque
latius in mundo uagatus est. quanto a reatu quisque illius
liber per omnia inuentus non est. Cui quasi ex potestate
mundum circuisse est. nullum hominem qui sibi plene resisteret
inuenisse. Sed iam satan redeat. idem ab effectu suę malicię
uis illum diuina constringat. qui iam apparuit in carne.
qui in peccati contagione ex carnis nil habeat infirmitate.
Uenit humilis. quem et superbus hostis ammiretur. quatenus
qui fortia diuinitatis eius despexerat. et iam humanitatis
eius infirma pertimescat. Unde et mox significatione miri
fica. contra eum ipsa humanitatis infirmitas obstupescen
da proponitur ut dicatur. Numquid considerasti seruum meum iob.
quod non sit ei similis in terra. Quod iob interpretatur dolens.
paulo ante iam diximus. Dolens uero ipse ueraciter per figu
ram dicitur. qui portare dolores nostros per prophetam attestante per
hibetur. Cui in terra similis non est. quia omnis homo tantum
modo homo est. ipse autem deus et homo. In terra similis non est.
quia et si adoptiuus quisque filius ad percipienda diuinitatem profi
ciat. nequaquam tamen ut deus naturaliter esset accipit.